



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica**

**Gibbes, James Alban**

**Romae, 1668**

Ad Famianvm Stradam, ad annua pietatis exercitia secedentem. Ode X.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13378**

Inuentor Labyrinthi extiterit licet.  
 Hic non fila regant Gnoſſia Theſeum.  
 Mittam & ſacra patrum clauſtra, & imagines  
 Clauſtorum, atque gradus, & medium decus  
 Horti cum gelidis fontibus. Attamen  
 Veſtra pace, Deæ, Socraticos lares,  
 Rixofumque latus (cedite barbiton)  
 Laudarim tremulo pectine pleniùs.  
 Fruſtra: namque tenax propoſiti vtraque  
 Auerſata negat lumine turbido.  
 Nec quâ parte canam lauriger ædium  
 Rex aulam ſtatuat: nec viridaria,  
 Aut viuos latices, nec bona narium  
 Dicam, perpetuo cum Zephyro incolâ, &  
 Venatrice Deâ, non ſine Gratijs.  
 Exegi. Variâ ductus imagine  
 Dùm luſtras oculis, CAROLE, ſingula,  
 Te vertigo rotat: nec minùs heu! meum  
 Torquet nunc dolor, atque ebrietas caput.

AD FAMIANVM STRADAM,

*ad annua pietatis exercitia ſecedentem.*

O D E X.

C Vi concitatum perculit enthei  
 Vis mollis œſtri pectus, & aureo  
 Renidet igniſas medullas  
 Dius amor pepuliſſe thyrſo;  
 Non ille rauçi murmura Boſphori,  
 Depræliantis nec rabiem Noti,  
 AËſtumque fallacem Charymbdis,  
 Nec Libyci vada nigra ponti  
 Tentare pallet. Si mare barbarum  
 Euertat imis ſedibus AËolus,  
 Perrumpit obſtantes procellas  
 Odryſiæ nouus hoſpes oræ.

Quin



Quin & viarum deuia spreuerit  
 Alatus ardor, spreuerit impios  
 Getas, & æternum Getarum  
 Frigus, Hyperboreasquæ brumias,  
 Qualis trifulcæ cuspidis arbitra  
 Per densa nimborum, & nebulæ globum  
 Lacescit audax inquieti  
 Thræicias Aquilonis iras;  
 Sic insequentem, dum premitur, premit,  
 Fugat fugantem, nec proprijs cadit  
 Fœcunda damnis, & sub ipsâ  
 Morte viget rediuiua virtus.  
 I, STRADA, felix: cernis vt impigram  
 Velox in altum penna vocet ratem  
 Cœlestis Austri? pande vela,  
 Et roseas cita puppis vndas  
 Findat, citatis ocyor Africis:  
 Optata donèc litora palmulis  
 Legisse, victricemquæ detur  
 Fronde suâ decorare pinum.  
 Te nos amoris, dum licet, igneis  
 Sequemur alis. Ibimus, ibimus,  
 Vtquæ præcedes, supremum  
 Carpere iter comites parati.

IN OLIVERIVM CROMOELLVM,  
*execranda memoriæ tyrannum.*

*Vt, dùm per tempus licet, occupatam deponat domina-  
 tionem: alioqui fore, vt ipsum serò pœniteat, cum  
 proditoris patriæ more (sicuti postea accidit) male  
 mulſabitur.*

ODE XI.

O Infamis apex, & Phalaris criminibus nocens!  
 Detestata tuo cum fodiet marra cadaueri  
 Sub furcâ tumulum; stansquæ iecur diffiderit fudes;  
 Nunç